DISSERTATIO INAVGVRALIS
MEDICO - CHIRVRGICA

DE

INVOLVENDIS CORPORIS HVMANI EXTREMITATIBVS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE INCLYTI
MEDICORVM ORDINIS

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

DIE XXX. SEPT. MDCCXCIV

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

ANSELMVS WOLFF

MOENO - FRANCOFVRTENSIS.

GOTTINGAE,

TYPIS BARMEIERIANIS.

ROYAL COLLEGE OF SUR

SACRI ROMANI IMPERII

LIBERAE

REIPVBLICAE FRANCOFVRTENSIS

SENATVI SPLENDIDISSIMO

VIRIS

GENEROSISSIMIS MAGNIFICIS
EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS

PRAETORIS

CONSVLIBVS

SYNDICIS

SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS

OMNI QVA PAR EST REVERENTIA
ET PIETATE

HANCCE

DISSERTATIO INAVGVRALEM

DEDICAT

AVCTOR
ANSELMVS WOLFF.

Capvt I.

Quid ſit extremitatum corporis humani inuolutio; ex quanam materia et quo modo conſtruenda? —

§. 1.

Sub nomine *inuolutionis extremitatum* eam intelligo harum partium compreſſionem leniorem quae nobis verbo Einwikkelung deſignatur, quaeque, vt vnum ex efficaciſſimis Chirurgiae remediis certe accuratiorem meretur conſiderationem. Ea conſtat faſcia quadam ſpirali (Dolabra ſic dicta) quae a digitis manuum vel pedum incipit, et vsque ad vltimum finem ſuperiorem extremi-

tremitatum ascendit. Hoc modo eam construere praecipuus mos est; de varietate eius duplici infra loquar (§. 7.).

§. 2.

Inuolutio modo *flanellae*, modo autem *lintei* fasciis, sine certo aliquo indicio sumto construitur. Id tamen sine dubio quibusdam certis indicationibus subiici debet, quas accuratius describendi periculum faciam.

Primo, cum flanellae elasticitas maior sit, eoque etiam illa semper maiorem sese expandendi et contrahendi facultatem habeat, in omnibus casibus eligi debet vbi status extremitatum is est, vt, inter ipsam inuolutionis applicationem nunc intumescant nunc autem magis collabantur. Tunc enim ob vim suam elasticam flanella cum mutatione partis semper conueniet eoque in altero casu sese magis extendet in altero autem sese contrahet. Linteum contra,

quod

quod minima elaſticitate praeditum eſt, prorſus contrarium effectum hic praeſtat, dum nec intumeſcenti cedit parti nec collabenti arctius ſeſe adplicat. Fuerunt tamen qui ob eandem lintei minorem elaſticitatem, praecipue in iis caſibus vbi humores quidam (vt ſanguis etc.) extrauaſantes intumeſcentiam illam efficiunt, linteum flanellae antepoſuerint. Credunt enim linteum extrauaſato non cedens eius augmentum, creſcentemque ab eo partis tumefacientiam magis inhibere; id quod ſolummodo ſpeciem prae ſe fert. Potes enim non minori efficacia, eandem partis tumefacientiam creſcentem, flanella prohibere, dummodo eam ſatis arcte applices; nec tunc linteo opus eſt. Praeterea experientia probatum eſt, dolores, ex intumeſcentia partis, ab extrauaſato orta vehementiores fieri cum nos intumeſcentiae magna vi reſiſtamus vt in lintei vſu fit, quam tunc cum leniter ei cedamus vt

in flanellae vſu. Semper itaque in hiſce caſibus flanella linteo anteponenda eſt. Haec indicatio inter omnes praecipua eſt, ſequentesque, niſi eius habito reſpectu, ſumi debent. — *Secundum* locum ſequens indicatio tenet. Interdum nempe, cum noſtra interſit vt pars aegra magis frigida aſſeruetur, certe linteo vti debemus; in caſu contrario autem vbi calor lenis aequalis Chigi conſiliis faueat, flanella ſumendarur eſt. — *Tertia* indicatio nos docet interdum ſtatum quendam partium adeſſe vbi magnam vtilitatem adferre obſeruatum ſit cum in iis, praeter illos effectus quas ſola inuolutia praeſtat, ſimul adhuc lenis trausſpiratio cutanea efficiatur et ſuſtentetur (§. 16 etc.). In quibus omnibus caſibus itaque flanella linteo proferri debet. *Quartam* indicationem ex eo ſumimus quod inuolutio, ex flanella facta, ob huius rudiorem naturam difficilius disiungitur. Ob hanc cauſam

gene-

generatim ſemper, *ſpecialiter* autem in omnibus *iis* praeſertim *caſibus* vbi verendum eſt ne *facilius* diſiungatur, involutio ex flanella facianda eſt (§. 21 etc.). *Tandem* autem nonnulli ſunt quorum cutis flanellam, quoniam ex lana facta eſt, tolerare non poſſit ſed prurire incipit, inflammatur, imo excoriatur. Quibus hominibus cum flanella numquam ad cutem nudam applicari poſſit, haec indicatio prima eſſe deberet ad quam resſpiceres, niſi linteo, inter cutem et flanellam poſito, omnia verenda prohibere poſſes. Linteum hoc tamen ita ponendum ne reſiſtat tumefacientiae, ſed cedere ei poſſit. Pro his *generaliter* expoſitis, indicationes in diverſis caſibus *ſpecialioribus* facere debemus; id quod infra tentaui. —

§. 3.

In *applicanda inuolutione* generaliter duae res ſemper ſunt obſeruandae; par

tim vt vbique aequalis ſit preſſio ab ea effecta (§. 4-5), partim vt vim neceſſariam eadem habeat (§. 6.).

§. 4.

Vt preſio omnibus locis aequalis ſit in ſequentia animus erigendus eſt. 1) nempe inuolutio faſcia illa ſpirali quae dolabra media vocatur, facienda eſt; ea enim prae omnibus caeteris praecipue aequaliter adprimit. 2) Digiti, pro ſe quisque, inuoluendi ſunt paruis faſciis propriis, quarum, in extremis digitis inceptarum et in eorum radice finitarum, relicta pars, in ſuperiorem pedis vel manus partem retorquetur, primoque illius faſciae maioris principio figitur qua caetera inuolutio fit. Quibus faſciis tamen extrema digitorum pars tegi non poteſt, ita vt ſine vlla preſſione remaneat; id quod in quibusdam caſibus, infra accuratius determinandis, damna magna afferre poteſt. (§. 16.)

(§, 16.). Optime tamen id euitari poteſt dummodo extrema digitorum paruulo linteo tegantur idque primo faſciae digitorum principio figatur. 3) Facile accidit vt in aequalitatibus extremitatum (veluti in articulis) faſcia vbicunque ſimili vi non premat imo locum aliquem ne tangat quidem. Tunc omnia ea incommoda oriri poſſunt quae ab aliquo loco prorſus non tecto eueniunt (§. ſeq.). Ea incommoda laminibus linteis quae, inaequalia explentes loca, faſciis ſubiiciuntur, auertenda ſunt. 4. Vbi extremitates formam conicam aſſumunt faſcia reuerſa ſic dicta applicari debet. Nonnulli, (Gooch etc. *) faſciam reuerſam preſſionem in aequalem efficere credentes, extremitatum formam conicam potius, laminibus linteis adiectis, in formam cilindricam commutare et hiſce laminibus tunc faſciam tandem imponere ſuadent. Sed

 faſcia

*) Caſes in ſurgery.

faſcia illa reuerſa ſatis aequaliter premit dummodo commode applicata eſt; in mutanda autem illo modo extremitatum conica forma minus potis ſum vt preſſionem inaequalem euitem.

§. 5.

Vt aequalis vbique preſſio fiat illud etiam cauendum eſt, ne aliquis locus inte&tus remaneat. Tum enim ea damna eueniunt vt in hoc loco humores congregantur ita vt tandem exulcerationem ibi efficiant. Nonnulla in extremitatibus adſunt loca quae difficile teguntur: in inferioribus nempe dorſum pedis et calx. etc. in ſuperioribus cubitus etc. in quibus locis eo dolabrae cruciatae faciendae ſunt. Attamen saepiſſime nullo modo quisque tegi poteſt locus praecipue in calce vbi tunc alia res in auxilium petenda eſt. Laminibus enim linteis duplicatis ille locus tegitur; quae cum ea longitudine ſint

vt

vt fasciae ope arripi possint in illum locum intactum apprimuntur. Lamina illa a nonnullis (THEDEN *)) ea longitudine fieri iubentur vt eorum extremae pares fasciis exstent eoque retroflecti et iterum adstringi possint, quo certius in tensione teneantur lamina ipsa; id, quod vix necessarium, praeterea inaequalem pressionem sub fascia efficit. — Interdum fascia optime applicata aliquo casu hic vel illic disiungitur et tunc spacium intectum relinquit. Cui vt occurratur, necesse est vt hic atque illic (in illis praecipue locis vbi separationis magius periculum adest) inter se coniungatur fascia acu et filo. Et hic flanella iterum praeferenda est, quod ob maiorem quam habet asperitatem difficilius loco secedit. Nonnulli, illam disiunctionem tibiali vulgari super inuolutionem induto, prohibere volunt (THEDEN **)). Quod tamen non prorsus

*) *Neue Bemerkungen ir Band.* **) l. c.

ſus probare poſſum. Si enim tibiali illud magis amplum eſt, nil auxilii afferre poteſt, ſin autem arctius (et quidem cl. THEDEN id ſalis arctum eſſe poſtulat *) damnum afferre debet cum applicatione ſua faſciam ipſam certiſſime disiiciat. — Simulac aliquo loco inuolutio cedit vel laxatur ſtatim nouo applicanda eſt.

§. 6.

Vt preſſio quae inuolutione efficitur iuſtam habeat vim generaliter aſſumitur illam ita applicandam eſſe vt diverſis faſciae ſpiris digiti extremum facile ſubducere poſſis. Attamen non omni caſui ea preſſionis vis conuenit; interdum maior (etſi nunquam minor), eſſe debet; de quo infra prout occaſio fert tractabitur.

§. 7.

Nonnulli loco inuolutionis, faſcia peractae, tibiale ex pelle canina factum lau-

*) l. c.

laudant (Bell *) Wiseman **) etc.) illique praeferunt. Certiſſime etiam ſaepe, (nec tamen ſemper) id meretur tibiale illud. In illis caſibus vbi aegro ipſi applicatio ſaepius committenda eſt, et vbi extremitates inter eius applicationem non valde nec celeriter detumeſcunt (vt hydrops pedum exemplum contrarium praebet) tibiale illud generaliter praeferendum. Singulas caſus infra accuratius diſtinguam. Certiſſime praeterea in vſu facilius et ad aequalem preſſionem faciendam magis forſan idoneum videtur. — Preterea alia adhuc adeſt in inuolutione adplicanda varietas, dum a ſuperiori ac inferiori parte faſciis duabus diuerſis ſimul incipimus; quo efficitur vt in aliquo mediae extremitatis loco (vt in genu etc.). faſciae illae duae obuiam ſibi veniunt ibique finiantur et firmantur. Id autem

tum

*) Syſtem of London Surgery ou ulvers.

**) Several chirurgical treatires fol. London.

tum tantum ſit cum illum locum in quo finiuntur faſciae ſaepius forſan inſpicere debemus; nec tamen conceſſum eſt vt quoque tempore tota inuolutio tollatur partim quod difficultati id ſubiectum eſt partim quod aliquis effectus malus illic nedundare poſſit, id quod in vulneribus tendinum in fructura patellae etc. fit (§.). Inuolutio illo modo facta quoque tempore locum affectum inſpicere ſinet nec vt tota in hunc finem tollatur neceſſe eſt.

Caput II.

De Inuolutionis viribus et vſu in genere.

§. 8.

Inuolutionis vires omnes quas in diverſis morbis medendis praeſtat a ſola compreſſione extremitatum deriuandae ſunt. Ea enim *primo* prohibet omnem partium ſubiectarum contractionem *praeternaturalem* ita vt *muſculi* extremitatum, ſub inuolutione applicata, inuoluntario et praeternaturali modo ſeſe contrahere non poſſint. Nec minus, *ſola* aliqua *fibra* expanſa inuolutione relaxatur. Ab hac vi interdum *ſecundo* alia quaedam *ſopiens* inuolutionis vis proficiſcitur ita vt ipſa dolores extremitatum in iis caſibus vbi a fibrarum etc. quadam tenſione eueniunt ſtatim

tim tollat (vt in vulneribus partium tendinoſarum etc.) — Quae tamen interdum etiam eo forſam prouenit quod inuolutionis preſſione nerui, partim (et praecipue quidem) illi qui in cute ſunt, partim autem forſan et caeteri, comprimuntur eoque obtunduntur. Id eo etiam confirmatur quod in operationibus, quibus extremitates ſubiectae ſunt, applicata inuolutio dolorem prohibet, minuit. — *Tertio* praeterea prohibet, vaſa adferentia leniter comprimendo, adfluxum copioſiorem humorum in extremitates; id quod eam in profluxionibus humorum diuerſis, e g ſanguinis, efficaciſſimum reddit remedium. — *Quarta* alia non minus efficax inuolutionis vis ea eſt vt compreſſione illa leniori omnes extremitatis partes praecipue autem cutem, et vaſa ab hac per multum dependentia, roboret ita vt in quocumque caſu vbi illae partes debilitatae ſint magnum

auxi-

auxilium afferat. *Quinto* ob has vires vltimo loco nominatas (vid. n. 3 - 4) efficabiſſimum in morbis remedium omnibus eſt, vbi accumulatio quaedam in extremitatibus adeſt; praecipue autem ſi illa ex ſolis humoribus conſtet vt in oedemate pedum (§. 13 etc.). Tunc enim, partim quod, ob vaſorum afferentium compreſſionem, adfluxus humorum minore gradu tantum conceditur, partim quod vaſa reuehentia, cute et caeteris omnibus extremitatum partibus, compreſſione eâdem roboratis, maiorem actionis vim accipiunt praeſtant, eoque humorum maior et iuſtior refluxus fit (§. 13 etc.). In partibus illis, cum debilitatae ſint, hoc modo interdum cura radicalis effici poteſt.

§. 9.

Omnia mala illa in quibus inuolutio applicatur aut *totam* extremitatem corripiunt, vt oedema pedum etc., (§. 13

(§. 13 etc.) aut tantum *vnum*, ſaepe forſan *paruum eius locum* vt e. g. vlcera, aneuriſmata vera etc, (§. 27 etc.). In hoc caſu nonnulli (Bell *) etc.) totius extremitatis compreſſionem ſuperfluam crediderunt. Volunt contra locum affectum *ſolum* faſcia comprimi (§. 23.). Id autem probare non poſſum, nam, *primo* omnium horum malorum natura ea eſt vt generalis extremitatum compreſſio maiorem fructum in iis adferre debeat (vt in vlceribus oedematoſis laxis etc.) (§. 23). *Praeterea* ſola compreſſione locali circulatio ſemper aliquo modo impeditur, multique mali effectus eo producuntur.

Propria quidem inſtrumenta inuenta ſunt quorum vſu compreſſionem extremitatum localem ſine circulationis impedimento fieri poſſe dicunt (vt ligatura tornatilis Petiti etc.). Eorum inſtrumentorum applicatio autem cum multa diffi-

*) l. c.

difficultate in hisce casibus coniuncta est et praeterea ne semper quidem perfici potest, nec semper effectum laudatum circulationis prorsus libreae praestat. Dummodo autem cum locali illa pressione, inuolutionem simul coniungamus illam vel magis arctiorem facere possumus, cum inuolutio omnes malos effectus ab impedita circulatione ortas tollat, (§. 8.). imo impeditam circulationem vi sua supra notata quasi restituat. (§. 0. Nr. 4-5). — Itaque vbi localis quaedam in extremitatibus compressio necessaria est, ea semper inuolutione facienda et ita quidem vt in locum affectum aliqua res fasciae subiiciatur, vel mollior, vt linteum etc. vel durior vt lignum etc. (§. 27. §. 28.)

 CAPVT

Capvt III.

De inuolutionis viribus et vſu ſpecialiter.

§. 11.

Ex his generaliter praemiſſis luculentius patet cur inuolutio in morbis ſequentibus, ad quorum accuratiorem et ſpecialiorem indagationem nunc tranſire propoſitum eſt magnum effectum praeſtet.

§. 12.

Eius vires in diuerſis humorum accumulationibus quibus extremitates ſaepisſime laborant praecipae laudatae ſunt. In iis vt ſupra iam demonſtratum eſt (§. 8. Nro. 4 - 5.) prohibito adfluxu et adſueta ſeceſſione humorum prodeſt. Sed cum accumulationes illae inter ſe maxime diuerſae ſint, in quolibet diuerſo caſu propria nonnulla ſunt animadvertenda;

tenda; ob quam caufam praecipuos hic perfcrutabor.

§. 13.

In omnibus accumulationibus *oedematofis* praecipue in *oedemate pedum* proprie fic dicto magnum auxilium adfert faepiffime vel in maiore eiusdam gradu, cum in ascitem etc. iam abiret magna efficacia probata eft. Viderunt aegros eodem gradu hydropis laborantes maiore copia vrinam emittere (Theden *); imo eiusmodi aegri quibus nullum remedium, etfi efficaciffimum, auxilium attulerat eodem fere momento quo inuolutio applicabatur per aluum et penem aquam euacuerunt (Theden **).

§. 14.

Quidem obferuatum eft eam non femper nec vbique eundem fucceffum felicem in comitatu habere; imo nec minus probatum eft eam interdum aquam

 in

*) l. c. **) l. c.

in pedibus contentam ventri tradidiſſe ſine vllo effectu ſalutari. Attamen id nullomodo tollit vtilitatem ex eius adminiſtratione petendam, ſed potius indicationis, in ea accuratius diſtinguendae, nos periculum facere iubet.

§. 15.

In eius vſu itaque ſequentia praecepta conſtitui poſſunt. *Primo* eius applicatio eodem momento facienda vbi diureſis incipit, vel, vbi quidem iam per aliquod tempus, attamen non ſatis profuſa, fluxit; eam tunc vrinae vel alui miſſionem aucturam certiſſimo modo expectare poſſumus. — *ſecundo* vbi omnia etſi efficaciſſima remedia adhibita ſunt, attamen nec vninâ nec aluo aqua abire vult. Tunc interdum accidit vt remedia illa eodem momento vbi inuolutio applicatur effectum producere incipiant. *Denique* cum ſcarificatione conjuncta; quod praecipue tunc faciendum cum in praecedente caſu

inuo-

lutio nullum effectum praestat. Cum scarificatione coniuncta enim non solum celeriorem euacuationem aquae adiuvaret sed forsan etiam in prohibendo euentu malo, scarificationem interdum comitante, certius auxilium afferret; quod vtrumque exempla, a suspensorii in scarificatione scroti, imo ab ipsius fasciae Manrojanae in paracenthesis abdomins vsitatae, effectu, petita, illustrare videntur: nec non exemplum hydropis articulorum omnium remediorum auxilium deludentis tunc autem compressione topica cum vlcere artificiali coniuncta sanatae *) primum illud ostendit. — Itaque non prossus superfluum mihi videtur quaestio debetne in quolibet pedum oedematosarum scarificatione simul inuolutio administrari? nec minus, sitne vice versa cum inuolutione

 in

*) Löfflers Beyträge zur Arzney - Wissens. und Wundarzneykunst erster Theil. Richters chir. Bibl. 12ter Theil. — 2tes Stück.

in oedemate pedum ſimplici ſemper ſcarificatio ſimul conjungenda? —

§. 16.

Praeter hoc oedema proprie ſic dictum omnes etiam caeterae accumulationes oedematoſae in extremitatibus vel ſuperioribus vel inferioribus maximum et praecipuum auxilium ab inuolutione conſequuntur. His inprimis eas annumero quae poſt compreſſionem vel operationem aneurismatis vel poſt quamlibet arteriae compreſſionem in extremitatibus peractam, oriri ſolent. Hic vaſorum minorum vis, ob deficientem trunci primi actionem debilitata, inuolutione roboratur atque ſubleuatur ita vt omnis accumulatio abeat. (§. 8. Nro. 4 - 5.) In omnibus hiſce caſibus praecipue autem in praecedente (§. 13 - 15.) nunquam inuolutionem niſi flanella peractam eſſe debet, quia haec vi ſua calefaciente transſpirationem efficit (§. 2. Nro. 3.)

Nro. 3.) eoque et per hanc viam illas accumulationes oedematafas euacuat. Nec minus praecipue hic extrema digitorum paruulo illo linteo (§. 4.) femper funt tegenda. —

§. 17.

Quibus in § praecedente transactis accumulationibus aliquo modo etiam adnumerari poffunt vlcera pedum illa in quorum curatione inuolutio magni praetii aeftimatur, — illa nempe, quorum margines laxos, vafisque varicofis, impletis circumdatos fefe proferunt et quae praeterea manifeftiffimo modo ftatum debilitatis et relaxationis produnt. Ea enim vlcera quorum perduratio faepisfime tantum ab imperfecta circulatione in extremitatibus, nec minus a debilitate cutis topica et ab adfluxu humorum, illuc ire longe iam affueto, pendet, fola praecipue funt quibus inuolutio deftinata eft. Ea enim omnes vires proprias ad

 illum

illum ſtatum tollendum neceſſarias ſecum coniungit. Roborat enim cutem atque vaſa debilitata (§. 8. n. 4.), auget circulationem tardatam (§. 8. n. 4.) minuitque adfluxum humorum ad vlcera ſuetum, nec experientia iterata niſi efficaciſſimum id remedium ſeſe oſtendit.

§. 18.

Attamen ſunt obſeruatores qui cum efficacia inuolutionis in vlceribus minime contenti ei contra obiiciant: vim eius non ſolum ſaepe prorſus ceſſaſſe ſed etiam etſi forſan in principio cum ſucceſſu applicata eſſet, tamen poſtea nouam exulcerationem ſanati iam vlceris admiſiſſe; imo ei obiecerunt cum peſſimo effectu ipſam applicatam eſſe ita vt aliis corporis locis nobilioribus, vt ſunt caput et pectus etc., periculoſiſſima ſymptomata ab ea producerentur. At omnes obiectiones illae ab intempeſtiua facta applicatione ortae videntur iisque

forſan melius occurri poteſt cum ſequentibus praeceptis obediemus (§. 19.). Partim enim inuolutio in iis vlceribus quibus aliquis, character ſpecificus ineſſe ſupponendus (vt arthriticus, ſcabioſus etc.) nunquam applicanda eſt, niſis antea remediis neceſſariis deſtructus ſit; quibus neglectis character ille ſpecificus ex vlcere in alias partes emiittitur. Minori in hoc praecepto obſeruando, cautioni, praecipui ex illis malis effectibus adſcribendi ſunt *). Nec minus partim exſiccatio vlceris, inuolutione magis praecipitata ſaepiſſime malos effectus produxit; ſicuti quique ceteri, etſi minimi, effluxus, quibus natura iam quaſi aſſueta eſt multos et vel acutiſſimos euentus producere poteſt cum aliquo modo magis ſubitaneo exſiccetur. Hiſce malis euentibus tamen occurri poteſt certa atque ſecura via dummodo effluxum

*) Richter Anfangs - Gründe der Wundak. Ir Band.

xum ex vlcere prodeuntem ſenſim ſenſimque ceſſare curemus. Effluxus ille eo tantum modo diminui debet quo vlceris circumferentia minuitur eaque, ſimulac magis celeriorem effluxus ceſſationem intelligimus vnguentum irritans, ex praecipitato rubro, applicatum ad ulcus cum inuolutione coniungendum eſt. Inter hanc vlcerum tractationem ab Cel. VNDERWOOD *) per viginti annos ſecutam is nunquam aliquem malum effectum productum vidit.

§. 20.

Quod ad illas obiectiones attinet inuolutionem ſaepiſſime nullum effectum praeſtitiſſe (§. 18.) partim non poſtulandum vt remedium, etſi efficaciſſimum, nunquam in applicatione ceſſet; nec itaque inuolutioni ceſſatio virtutis interdum obſeruata pro crimine habenda; imo caeteris obſeruationibus contra fuluientes

eam

*) A treatiſe on ulcers of the Legs by M. VNDERWOOD London 1783.

eam maximo iure inter efficaciſſima remedia numerare poſſumus. Forſan etiam illi obſeruatores indicationes non ſatis diſtinxerunt, inuolutionemque in caſibus adminiſtarunt in quibus pro obſeruationibus reiteratis non magnum auxilium, imo fere nullum affert; quorum nonnulli in §. 22. nominati ſunt.

§. 21.

Denique recrudeſcentia vlcerum, inuolutione iam ſanatarum, de qua nonnulli queruntur (§. 18.) tunc forſan potiſſimum euitanda eſt ſi cum inuolutione motionem corporis coniungamus. Nam certum mihi videtur quod inter quietem cutis et muſculorum totius extremtatis ſanatum ſit libenter ſeſe aperiturum fore ſimulac ex hac maxima quiete ſtatim motui exponitur. Itaque numquam vel tantummodo paucis exceptis caſibus medici iudicio relinquendis inuolutio ad ſananda vlcera inter quietem adplicanda

eſt

eſt, ſed contra cum motu corporis ſemper coniungi debet. Nec neceſſaria eſt quies in vlceribus ſanandis ea enim ſola numquam aliquod ibi praeſtitit ſine ſitu horizontali; imo ſane hoc remedtum eſſet maxime detrimentoſum, cum circulatio, quae turbata in hiſce morbis ſaepe cauſa ſummi poteſt (§. 17.) illa quiete adhuc magis lenta redditur. In adminiſtranda autem inuolutione ea prorſus carere poſſumus quod inuolutio ſitum horizontalem, quocum quies ſemper coniuncta eſſe debet, ſuperfluum facit; nam, aegro etſi in motu corporis verſante, tamen easdem vires excercet ob quas ſitus horizontalis efficaciam praeſtitit; hic enim nil aliud efficit quam vt refluxui humorum ex extremitate faueat; idem, imo forſan modo magis perfecto, inuolutio facit etſi ſtante ac mouente aegro; qua itaque applicata nec ſitui horizontali nec quiete cum hoc inſeparabiliter coniuncta opus erit; inter mo-

tum

tum contra extremitatum ſanatio vlceris perfici poteſt quod tunc, vt iam ſupra dixi, difficilius recrudeſcat, eoque pars querelarum iniuſtarum diſinebit. Nec id, cui vt credo veritatis ſpecies non abnuenda ſola ſpeculatione theorethica euolutum, ſed potius experientia iam probatum eſt. VNDERWOOD *) enim per viginti annos apud aegros ſuos involutionem ſemper cum motu coniunxit eoque id effecit vt nunquam vlcera iterum recrudeſcerent.

In hoc caſu tamen vbi cum involuendis pedibus motus corporis coniunctus eſt inuolutio flanella vel tibiali ex pelle canina facta (§. 7.) perfici debet quia aliter ipſa disiungitur eaque aegro in mouendo corpore impedimento eſt.

§. 22.

Inuolutio non ſolum in illis vlceribus laxis et varicoſis (§. 17.) ſed etiam in

*) l. c.

in inflammatis commendata eſt (VNDERWOOD *). Sed viri experimentisſimi (RICHTER **), BELL ***), THEDEN †), id diſſuadent. Sint tamen forſan caſus quidam vlcerum inflammatorum in quibus eam adhibere non vetandum eſt, cum experientia edocti ſimus eam in vulneribus inflammationem et dolorem ſaepius tollere (THEDEN ††). Attamen ſine vllo dubio in vlceribus *calloſis* inflammatis vetanda nam hic certiſſime preſſione ſua calloſitatem, inflammationem doloremque auget.

§. 23.

In vlceribus dolorificis phagaedenicis ſine inflammatione et calloſitate maximum ſubitaneum effectum praeſtat involutio THEDEN †††).

§. 24.

*) l. c. **) l. c.

***) l. c. †) l. c.

††) l. c. †††) l. c.

§. 24.

Bell, pressionem vlceris topicam sufficere contendens inuolutionem, si status vlceris oedematosus in loco vlceris tantum inueniatur nec in totam extremitatem sese extendat non maiorem facere suadet quam vt nonnullarum digitarum latitudine super et infra vlcus procedat. Sine vllo dubio concedendum est, compressionem topicam et sufficere hic ad sanationem posse; id demonstrant obseruationes illae vlcerum in alia parte corporis sola pressione sanatorum (Bell *). Imo Bromfield, teste Vnderwoodio, hac topica pressione vel Bubones malignos sanauit. Attamen etsi pro hisce obseruationibus tota inuolutio ad sanationem vlcerum non semper necessaria, tamen prout hoc loco praecipue multo efficatior nunquam illi negligenda est (vid. §. 10. n. 2.).

§. 25.

*) l. c. on vlcers.

§. 25.

In varicibus inuolutio magni pretii eſt. Ea hoc loco *partim* applicatur ſine anteacta apertione et euacuatione varicum ad reſoluendum ſanguinem in iis contentum; id quod ſemper faciendum cum varices adhuc recentes ſint. *Partim* autem applicatur anteacta apertione et euacuatione ſanguinis, quod fit cum varices iam vetuſtiores ſanguinem craſſum tenent et induratum: euacuato tunc ſanguine, vena, inuolutione compreſſa, nouam impletionem non ſinet ſed forſan tota deſtruitur. Attamen et in his caſibus ſemper primo cum inuolutione periculum faciendum eſt, quod et ibi totam curam ab ea peractam viderunt (Richter *). Interdum autem *denique* inuolutione hic in eum finem vtimur vt magnos varices, viſi eorum apertionem ſuſcipere volimus ea ſuſtineamus ne forſan ſeſe ipſos aperiant. Attamen

*) l. c.

men curam hanc palliatiuam, poſt aliquod tempus ſemper fere relinquere et varicem tamen aperire cogimur. In varicibus inuolutio, ex pelle canina facta, praecipue commendanda eſt (RICHTER *).

§. 26.

Eadem in *contuſionibus* atque *ſugillationibus* optimum remedium eſt, dum vaſis tonum reſtituit (§. 8. n. 4. 5.) humorumque abſorbtionem efficit. Vltimum quod praecipue mirandum eſt in aneurismate ſpurio; ibi ſaepiſſime magnae ſanguinis aceruatae moles ea reſoluentur. Attamen interdum in iis locis vbi magis induratae ſunt ſanguinis maſſae, eas relinquit, quae tunc cultro excindi debent. —

§. 27.

Aneurisma verum ſaepe curari ſola topica compreſſione obſeruationibus euictum

*) l. c.

ctum eſt (GVATTANI *). Attamen et hic cum topica compreſſione ſemper tota extremitatis inuolutio coniungi debet, eo modo qui ſupra deſcriptus eſt (§. 10. n. 2.). Id ob eam praecipui fieri debet cauſam, quod hic ſemper fere ob impeditam circulationem tumor extremitatum oedematoſus adeſt, isque illa compreſſione topica non tollitur, imo certiſſime augetur.

Hoc autem tum praecipue fit cum, vt nonnulli ſuadent, (GVATTANI **) THEDEN ***) et magna vtilitate reuera fieri poteſt, arteriae tractum totum ſupra tumorem aneurismaticum puluillo adiecto comprimimus. Tunc praecipue totius extremitatis inuolutio nunquam negligenda eſt. Eodem modo ſeſe res habet cum aneurismate *ſpurio* circumſcripto, cumque *varice aneurismatico* quem tamen raro curationi ſubmittere neceſſe eſt. —

§. 28.

*) De aneurismatibus 4. 1778.

**) l. c.

***) l. c.

§. 28.

Et in tumoribus durioribus, vt tumoribus cyſticis, reſoluendis preſſio continuata, quae ibi ſaepiſſime auxilium praeſtitit (Richter *) ob rationes ſupra iam notatas inuolutione facienda eſt ſi in extremitatibus tumores illi ſita ſunt. Vel duriſſimi tumores cyſtici, nempe ganglia, ea reſoluta ſunt (Theden **) Richter ***). Si Ganglion recens adhuc eſt cura ſaepe breui tempore abſoluitur. ſin autem iam vetuſtum longiore; eiusmodi Ganglion vel poſt hebdomada tredecim interruptae applictionis inuolutione tandem ſanatum eſt (Theden †). Cujus curae longa duratio culterum ſemper anteponere inuolutioni ſuadere videtur niſi forſan aegri timor vel alia quaedam cauſa improviſa inuolutionem ſumere ſuadent. Hic in ganglionis caſu praecipue res duriores inuulutione ſubiiciendae ſunt, quo

 ma-

*) l. c. **) l. c.

***) l. c. †) l. c.

magis ganglion comprimeretnr. Praeterea in caſu vetuſto reſolutio ganglii valde promouetur ſi ceratum ex oxicrato factum ſimul ſubiicitur faſciae (THEDEN *).

§. 29.

Inuolutionis efficacia in tumoribus reſolueudis demonſtrata, ad eam nunc me vertam quam vel in prohibendo, praeternaturali ex extremitatibus effluxu aliquo, vel etiam in tollenda aliqua ſecretione cutis peruerſa, praeſtat. Hoc in herpetibus etc., illud in ſanguinis profuſione locum habet.

§. 30.

In *herpetibus* enim (§. praec.) interdum vtilitate fuit ſed caueas ne ſine maxima circumſpectione eam applices! Acutiſſimos enim effectus ab ea in hoc caſu productos vidi, quod etiam valde cum re conuenit cum hic inuolutio ſola fere vt remedium exſiccans vel effluxum

*) l. c.

xum solitum prohibens agat (§. 19. n. 1.) et praeterea materiam morbosam specificam corpori tradat (§. 19. 2.). —

§. 31.

In sanguinis profusione nimia efficax remedium est; hoc loco praesertim cum compressione topica vel ligatura arteriarum coniungitur id quod tunc efficit vt illae securiores sint. Attamen et sola sua vi profusionem sanguinis tollere potis est. In vtroque casu autem id faciendum vt fascia multo strictius adiaceat quam supra commendatum est. (§. 6.)

§. 32.

Quod ad illam vim attinet quam in tollendo operationum quarundam dolore habet, nos ea raro vti posse credo, quia tum semper fere impedimento operationi esse debet; Praecipue in iis operationibus nunquam adhiberi potest vbi, quod saepius fit, in iis sus-

 cien-

cipiendis ignoramus quanta incisio facienda sit. In panaritio ante omnia praecipue commendata (Theden *) ad leniendum maximum acerbissimumque dolorem qui cum illius apertione coniunctus est. Attamen eius applicatio in hoc malo semper fere dolorem multo maiorem efficiet quam cum apertione sine ea suscepta coniunctus erit. Si eam instituamus arctior applicari debet.

§. 33.

Adhuc mihi restat magnum et quidem vltimum inuolutionis effectum explicare, quem nempe in tollenda vel musculi cuiusdam totius vel fibrae singulae tensione et contractione, praestat (§. 8. n. 2.)

§. 34.

Eius efficacia in tollendis singularum fibrarum tensionibus praecipue luculenter demonstrata est in vulneribus tendinum incompletis qualia praecipue in vene-

*) l. c.

veneſectionibus infelicibus (Theden*) in rupturis tendinum vt tendinis achillis etc. obſeruatur. Hic acerbiſſimos vſque ad conuulſiones auctos dolores vix applicata tollit. (Theden **).

§. 35.

Eius efficacia in prohibenda nimia et praeternaturali contractione muſculorum (§. 31) praecipue etiam in vulneribus musculorum et tendinum et in fracturis oſſium, ac quidem praecipue eorum obſeruata quorum fractae partes muſcnlorum actione inter ſe amouentur; exempla ſint patellae et oſſis calcarei fractura. Hic enim inuolutio dum muſculos praeternaturaliter contractos, compreſſione ſua expandere ſeſe cogit, fractarum partium ſuperficies appropinquatur et optimo ſucceſſu concreſcit. Eadem ſeſe res habet cum ſuperficie extremorum tendinis perſciſſi. Hic praeterea ſi tendo maior

 et

*) l. c.
**) l. c.

et craſſior eſt (vt e. g. tendo achillis) ſimul affluxum ſucci tendinos, interdum ibi tanta copia obſeruatum vt aegrum abriperet *) tollere poteſt. — forſan etiam callum oſſium et tendinum luxuriantem non ſinet; partim preſſione ſua teniori in locum affectum, partim dum maiorem humorum affluxum ad eum locum prohibet (§. 8.)

§. 36.

In omnibus hiſce caſibus modo illo ad §. 7. deſcripto perficienda eſt inuolutio; ita etiam in fractura patellae (Richter **) et intendinum nuptura (Wardenburg ***) commendatum eſt. Interdum autem hic in prima applicatione partes diuiſae eo modo ſeſe ſibi appropinquare non poſſunt vt ſtatim in contactum veniant; tunc quoque die renouan-

*) commercium litterar. Norimbergenſe. L. 1. 1731.

**) chir. Bibl.

***) Ueber den Verband getrennter Achillisſehnen. Göttingen 1793.

nouanda eſt inuolutio vſquedum tandem ſenſim ſenſimque locum ſuum teneant partes diuiſae; id quod numquam fallit (RICHTER etc.). Inuolutioni in curanda tendinis Achillis nuptura obiectum eſt: eam illius partes diuiſas adprimere ad ſubiectum os et telam celluloſam quibuscum tunc concreſcere poſſet (DESAVLT *) id quod DESAVLT euitare docuit dum linteo carpto foſſas laterales apud tendinem explet eoque modo tendinem prohibet quominus retropremi poſſit **).

*) Iournal de chirurgie.
**) l. c.

THESES.

THESES.

I. *Grauiditas nunquam vſum vomitorii, caute dati, contra indicat.*

II. *Peripneumonia poſt anginam non metaſtaſis eſt, ſed huius morbi effectus.*

III. *Melius eſt, prolem lactari a matre, quam a nutrice.*

IV. *Dyſenteria eſt Rheumatimus inteſtinorum.*

V. Vera ſuppuratio vix oritur, niſi praegreſſa inflammatione.

VI. Haemorrhoides nec ſunt laudandae nec plane reiiciendae.

VII. Pus prima ſua principia ex lympha coagulabili ducere exiſtimo.

VIII. Febris puerperarum fere ſemper ex ſordibus primarum viarum oriri videtur.

IX. Nulla, niſi quae tactu percipiuntur, grauiditatis ſigna, praecipue in primis menſibus ſatis certa ſunt.

X. Sublata Cauſa ſemper ceſſat effectus.

XI. Diaphoretica niſi ſimul ſint antiſpaſmodica prodeſſe nequeunt, imo nocent.

XII. *Sumus gradus inflammationis est initium putredinis.*

XIII. *Nulla febris sine materia.*

XIV. *Crusta pleuritica febris inflammatione non est causa, sed potius effectus.*